

1786.

Academia Cracoviensis

Bavaricenit Universitatis Acta et servata in  
per revocatione appellationis a constitutione Uni-  
genitus Clementis XI et super obsequio eius  
constitutioni exhibendo.

A  
D  
V

Su  
pe  
t

V  
C  
E  
in

Con

—  
L

Type

A C T A  
&  
D E C R E T A  
V N I V E R S I T A T I S  
P A R I S I E N S I S,  
Super Revocatione Ap-  
pellationis à Constitutione *Unigeni-*  
*tus*, CLEMENTIS XI. & super  
obsequio eidem Constitu-  
tioni exhibendo;  
In P O L O N I A M  
V N I V E R S I T A T I  
C R A C O V I E N S I,  
Filiæ suæ Charissimæ  
in Testimonium præmissorum  
T R A N S M I S S A.  
ac exinde  
Communis ergò plausūs atq; ampli-  
oris notificationis gratiâ  
R E I M P R E S S A.  
CRACOVIÆ M. DCC. XXXX.



---

Typis Collegij Majoris, Sumptibūs Novodvorscianis:

# Decanus & Facultas Pari-siensium Theologorum, celeberri-mæ Studij Cracoviensis Universita-ti salutem plurimam in Eo, qui con-vertit luctum nostrum in gaudium.

33.539. III.



Iuxta monitum Scripturæ, curam habere debeamus de bono Nomi-ne maximè ubi famæ nostræ aspersam esse novimus maculam, quæ in ea versatur materia, circa quam S. Hieronymus non vult quemquam esse patientem. Cùm igitur ex ijs, quæ statim ab obitu LVEDOVICI XIV. Invictissimi Galliarum Regis in nostra Theologi-ca Parisiensi Facultate adversus

Constitutionem *Vnigenitus* à nonnullis turbulentis tentata sunt, iste rumor infaustus de Parisiensibus Theologis per V-niversum Orbem Catholicum increbuerit, Decretum nempe, quod Anno 1714. pro acceptanda & observanda præfata Constitutione Sanctissimæ memoriz CLEMENTIS Papæ XI. emiserant, subinde declaratum fuisse nullum, falsum & adulterinum; imò communi Magistrorum suffragio renitentibus admodum paucis, interjectam fuisse ad futurum Generale Concilium scandalosam provocationem; uno verbo adversus Apostolicum Decretum ab Episcopis acceptatum & promulgatum insurrexisse, nihilominus totam Facultatem nostram (ex majori enim Suffragiorum numero totius alicuius Ordinis sententia solet æstimari, & Societati integræ ea tribuuntur, quæ ejus jussu ac Nomine peracta fuisse referuntur) Cùm inquam, inde vulgo traducerentur Parisienses Theologi non secus; ac si per stupendam animorum conversionem, à pri-

scis

BIBLIOTHECA  
UNIV. IAGELL.  
CRACOVIENSIS

scis Majorum suorum moribus, & ab antiqua, quæ hucusq;  
in ordine suo doctrina viguerat, planè recessissent, spretaq;  
docentis ac judicantis Ecclesiæ Authoritate. *Quam qui non au-*  
*dit tanquam Ethnicus & Publicanus*, ipso pronuntiante CHRI-  
STO Domino, *haberi debet*, se solos aliter docentes esse au-  
diendos jactitarent, eorum ritu, scilicet, qui ut soli sapere vi-  
deantur, Cælum ipsum vituperant; atq; rerum novarum ama-  
tores, *Quorum os abundat malitia*, sparsis undequaqueq; famosis  
suis libellis tanquam totidem funestis flabellis falsum hunc ru-  
morem augere non cessarent, quemadmodum hodierna die,  
nec adhuc desinunt, adeò ut in istis Florentissimis Academijs  
Catholicis nemo fermè foret, qui attendendo ad ea, quæ de  
nobis sinistra fama renuntiante passim circumferebantur; &  
ex altera parte revocando in memoriam suam felicem præ-  
teriorum temporum conditionem nostram, in hæc verba  
luctu ac mærore percitus non statim erumperet, *Haccine est*  
*illa perfecti decoris Theologica Facultas Parisiensis, gaudium olim*  
*universa terræ: quomodo obscuratum est aurum? mutatus est color*  
*ejus optimus?* Cùm deniq; Sapientissimi Magistri similia fortè  
nonnulla etiam num addatis, de præsenti nostra apud Vos am-  
bigua forte solliciti, intellectimus non satis sufficienterq; con-  
sultum iri famæ Nominis nostri, si quæ per summum nefas ne-  
bulosis temporibus inserta fuerant in Commentarijs nostris,  
& quæ evulgata falso rumori ansam, aliquodq; fundamentum  
haec tenus præbuerant, planè penitusq; apud nos rescinderen-  
tur, & ijs substituerentur meliora, sed insuper oportere ad a-  
moliendam hanc labem, aëta quæcunq; à nobis ea de re sa-  
cirentur, publici juris fierent, ut quocunq; ad dedecus & op-  
probrium nostrum, rerum male gestarum iniquitas accesserat,  
ibi pariter ad resarcendum honorem nostrum, damni fortiter  
ac feliciter reparati notitia perveniret; nec minus hodie ad pro-  
pulsandam gravem injuriam diffunderetur factis certissimis  
cognitio veritatis, quam ad conflandam turpem calumniam  
fæse pravis artibus diffuderat antea propagatio falsitatis.

Quapropter quæ duo erant æquè necessaria statim atq;  
potuimus, eodem ferme momento præstitimus, alterum, in-  
quo agebatur de statu nostro, ut verbis utamur S. Augustini:

A

necessa-

necessarium erat nobis: alterum quod erat de recuperanda  
fama Nominis nostri, necessarium alijs; utrumq; debebamus  
æquitati, honori nostro, Religioni. I. Itaq; ubi sese fausta  
obtulit occasio, cui jam dudum præstolabamur impatientes  
moræ emendavimus, quæ jam dudum debuissent emenda-  
ri. Decretum latum Anno 1714. suæ, ut par erat sinceritati  
restituimus & Authoritati, atq; nihil ut deesset opere in tan-  
to, & omnibus quæ occurri possent incommodis consulere-  
mus, nova sanctione eaq; priore Authentica magis ac Solen-  
niori Facultas nostra declaravit die ista Decembris ultimi in  
suis Generalibus Comitijs apud Collégium Sorbonæ congre-  
gatis amplecti se de novo Constitutionem *Vnigenitus* tanquam  
dogmaticum *Vniversalis Ecclesiæ* judicium, cui refragari  
nefas, cui non obsequi nihil aliud est, quam velle partem ha-  
bere cum ijs qui de foris sunt, nec ad Ecclesiam ulterius per-  
tinent. Adhibuimus cautiones, ne quid huic simile quod  
evenerat, deinceps contingeret, neq; ad gradus nostros The-  
ologicos admitterentur, nisi de quorum constaret apud nos  
fidei sinceritate & obsequio, cæteris quæ expendi solent non  
neglectis, hoc benè ac rectè sapienterq; factum Vobis profe-  
cto, Sapientissimi Magistri videbitur, & idem illud fuisse non  
opportunum duntaxat, sed planè necessarium judicabunt,  
quotquot sunt æqui rerum æstimatores; neq; enim sufficit  
præteritis aut præsentibus domesticis malis attulisse remedi-  
um, verum etiam prudentiæ est in posterum prospicere ac  
providere. Sed aliud supererat præterea non necessarium mi-  
nus, à quo exordium duxit præsens Epistola, quod similiter  
non censuimus omittendum. Nempe ut non solùm typis ad  
usum nostrum mandarentur Acta nostra, sed etiam eorum,  
Exemplaria per Orbem Catholicum affatim spargerentur, &  
lata eam in rem expressa Conclusione voluimus ad Insignio-  
res Academias, quarum Catholica Fides, bonus est odor  
CHRISTI in Ecclesia, quantocvus Nomine nostro mitteren-  
tur. Nec dubitamus quin pro Vesta erga Ordinem nostrum  
propensa voluntate ad aspectum eorum, quæ favente Cælo  
novissimis istis temporib; feliciter gessimus, non plurimum  
gaudeatis in Domino nobisq; velitis ex animo gratulari.

Accedit

Accedit ad istud bonum; quod ex se magnū est descendens  
à Patre luminum, à quo fluit quocunq; bonum est optimum,  
quod ex quo prodij Decretum novum diei 1<sup>st</sup> Decembris  
ulti, sexenti numero Magistri, quos Officiorum necessitas  
procul ab Urbe & Comitijs nostris dissitos retinet, scriptis exi-  
mijs Epistolis, huic applaudere gestiant sua suffragia nostris ad-  
jungere suffragijs glorientur, & singulis diebus subveniant ad il-  
lud idem roborandum Decretum ex varijs Orbis plagiis certis-  
sima testimonia non inferiora prioribus; adeò ut exceptis ad-  
huc nonnullis numero paucis & de sua nuditate confusis, qui  
suis privatis opinionibus abrepti à cæteris dissident, atq; idcir-  
co tanquam Viri turbulenti jussi sunt à Comitijs nostris absti-  
nere, affirmare meritò jam possimus, utendo Verbis Eutichij  
Constantinopolitani in sua, nomine sti Concilij ad Vigilium  
Papam Epistola, *Submota confusione discordie pacē reformāsse DE-  
VM in ordine nostro, & collectos in unum Magistros, unum idemq;  
sapere in recta fidei confessione quod sanè Catholicè sentientibus  
gratissimū esse debet & multū habet in se non mediocris solatijs.*

Quid inde porro his acceptis nuntijs eveniet SS.PP ac Ma-  
gistra, illud certè, quod nostræ, impræsentiarū gloriæ plurimū  
interesse profitemur. Quæ infaustæ de Nominе nostro fortè a-  
pud Vos etiam prævaluerunt suspicione, delebuntur: redibit  
pristinus favor, reviviscet præclara, quæ apud Vos ut alibi flo-  
ruerat olim, nostri Nominis existimatio. Docet S. Augustinus  
Lib: Confessionum cavendas omnes suspicione, & in antecel-  
sum studendum ne fingatur de nobis quidquid fingi potest aut  
dici; quantò magis ubi tam noxiæ suspicione obtinuerunt, nec  
defuit, proh dolor! aliquod fundamentum, ut obtinerent. His  
ita positis, nullus est in nostris evulgandis operibus superbiæ ty-  
phus metuendus; nulla jactantia, ostentatio nulla, quia vera in-  
est loquendi, ac scribendi & quæ scripta sunt evulgandi neces-  
sitas. Scimus quædam esse opera bona, quæ ne fiant coram  
hominibus, sed in abscondito Divina nobis præcipit in Evan-  
gelio CHRISTI Domini sapientia, ad quod attendens præce-  
ptum S. Basilius rectè Christianos admonet; inanem gloriam  
esse fugiendam, quam dulcem bonorum operum spoliatri-  
cem non minus verè, quam eleganter nuncupat. Verū sunt  
alia tamen opera bona, quæ jubente eodem novæ legis Au-

thore CHRISTO, lucere debent coram hominibus, ut illa vi-  
deant & glorificant Patrem, qui in Cælis est. Non sunt hæc  
duo inter se pugnantia, si attendamus ad diversam operum in-  
dolem & naturam, de quibus sermo est, necnon & ad condi-  
tionem temporum, in quibus nunc versamur & sumus positi,  
maxime vero, si quæ manifesta fiant & evulgentur eo bono ac  
recto fine prodeant, quo acta nostra typis recens edita ad Ce-  
leberrimam Academiam Vestram mittere satagimus. Nostrum  
ergo non improbabitis Consilium SS. MM. ex quo mentem no-  
stram, noveritis, vehementer cupimus in amicitiam redire Ve-  
stram si forsan ab illa excidimus, nihil magis nobis cordi est,  
quam Academæ Vestrae, quæ cæteras inter multiplici titulo  
etinet, antiqui amoris vinculo & Catholicæ fidei communi-  
one consociari; unde confidimus futurum, ut munusculum il-  
lud nostrum, qualequale est ingratum Vobis non sit: erit certè  
in signum, ære peregrinus & pignus Authenticum illius Observan-  
tiae singularis, quâ Vos Ilustrissimumq; Ordinem Vestrum  
impensè colimus ac veneramur. Valete sapientissimi Patres  
paululum memores nostri, quorum per celebris Academia o-  
lim surculus ex radice nostra, nunc Arbor facta Nobilis ex-  
pandit ramos magnos in agro Domini & fructus fundit uber-  
imos in scientia & pietate; Valete iterum crescentes, ut facitis  
*in scientia DEI veritatem facientes in charitate.* *Conjunctis Vi-  
ribus confortemur in Domino & in potentia virtutis ejus, ad destru-  
endam omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam DEI.*  
*Verbum vita contineamus ad consummationem Sanctorum, in opus  
ministerij & adificationem Corporis CHRISTI.*

Pax Vobis Fratribus & Charitas cum fide à DEO Patre & De-  
mino IESV CHRISTO gratia. cum omnibus, qui diligunt Domi-  
num nostrum IESVM CHRISTVM in incorruptione, Amen.

Datum Parisijs, Calendis Augusti Anno R. S. humanæ,  
supra Millesimum Septingentesimô trigesimô.

L. D. REMIGIUS. S. Facultatis Pa-  
risiensis Syndicus,  
De Mandato Domini Decani & Magi-  
strorum Sacrae Facultatis Parisiensis  
HERISLANT Scriba m.p.

la vi-  
hæc  
n in-  
ondi-  
ositi,  
no ac  
l Ce-  
trum  
n no-  
e Ve-  
i est,  
itulo  
muni-  
m il-  
certè  
bler-  
rum  
atres  
ia o-  
s ex-  
uber-  
citis  
s Vi-  
bru-  
DEl.  
opus  
Do-  
omi-  
næ,  
Pa-  
gi-  
sis  
.p-  
  
Literæ ab Vniversitate Pa-  
risiensi, nomine Præclaræ Artium  
Facultatis, ad Vniversitatem Cra-  
covensem consignatæ.

## VIRI CLARISSIMI.

Cognatio Litterarum & Studiorum, ac  
multò magis etiam conjunctio Religio-  
nis, quæ Catholicas omnes Academias inter-  
se consociat, Parisensem Artium Faculta-  
tem admonuit, ut ea Vobiscum Acta & De-  
creta communicaret, quibus interpositam  
antea provocationem à se revocari, ac de-  
bitum Constitutioni Vnigenitus obsequi-  
um exhiberi, summâ voluntatum propen-  
sione nuper declaravit. Hoc, consentien-  
tis Vobiscum & cum universâ Ecclesiâ fi-  
dei testimonium, quolibet alio munere Vo-  
bis pretiosius fore non dubitat, & quo læti-  
tiæ sensu mittit, eodem Vos confidit esse acce-  
pturos,

B

pturos. Ex his enim Actis intelligetis quam  
sincero obsequij & venerationis affectu, Ec-  
clesiae & Sanctae Sedis Apostolicæ Decretis  
obedientes nos præbeamus. Mibi autem  
nihil accidere potuit aut jucundius, aut præ-  
clarior, quam quod me sententiæ suæ In-  
terpretem apud Vos esse iussit Artium Fa-  
cultas. Itaque, VIRICLARISSIMI,  
omni Vobis aßeveratione testor, & huic Fa-  
cultati Nostræ, & mihi privatim summam  
erga Vos venerationem nunquam defutu-  
ram.

Pitet Universitatis Pari-  
siensis Syndicus.

Parisijs die 16. Decem-  
bris, 1739.

Inscriptio.

Perillustri Reverendissimo Domino pro tunc  
RECTORI, totiq; Almæ Universitati Studij  
Generalis Cracoviensis, in Polonia Filiæ No-  
stræ Charissimæ

pateant Cracoviæ.

ACTA

A C T A  
D E C R E T A  
P R Ä C L A R Ä A R T I U M  
F a c u l t a t i s P a r i s i e n s i s .

Tam super Revocatione Appellationis a Constitutione S. D. N. Papæ CLEMENTIS XI. quæ incipit Vnigenitus, die quintæ Octobris 1718. ad futurum Generale Concilium interjectæ, quam super obsequio eidem Constitutioni exhibendo.

M A N D A T V M  
A m p l i s s i m i R e c t o r i s .



OS ARMANDUS PRINCEPS De RO-  
HAN-VENTADOUR, Rector Universi-  
tatis Parisiensis, omnibus præclaræ Facul-  
tatis Artium Doctoribus ac Magistris,  
Salutem:

Notum facimus, Comitia generalia  
præclaræ Artium Facultatis, de rebus gra-  
vissimis, extra ordinem habitum iri apud  
Maturinenses, die Lunæ undecimâ hujus mensis, horâ septimâ  
matutinâ. Ita indiximus de consilij nostri sententiâ.

Datum in Ædibus nostris Sorbonæ Plessais, die Sabba-  
ti nonâ mensis Maij, Anno Domini 1739.

B2

Anno

**A**NNO Domini 1739. die undecimā mensis Maij horā septi-  
mā matutinā, habita sunt, extra ordinem, Comitia ge-  
neralia præclaræ Artium Facultatis, ex Mandato Amplissimi  
D. Rectoris, de ipsius consilij, hoc est ornatissimorum Procu-  
ratorum, sententiā, duobus ante diebus dato, ad Collegio-  
rum valvas & per Urbis compita affixo, atque etiam ad sin-  
gulos Magistros, quorum nota sedes fuit, per Apparitores  
circumlato.

*Postquam in Comitio communi quatuor Nationes eo  
Magistrorum numero, quanto vix unquam anteā, confite-  
runt, advenit ipse Amplissimus D. Rector. Et sic verba fecit:*  
**S**uperioribus Comitijs, statim erumpentes grati animi sen-  
sus effari, vix nobis licuit, Procuratores ornatissimi, Pro-  
ceres Academici. A Clarissimo Exrectore id petivimus offi-  
cij, ut interpretem se præbere vellet nostræ erga vos volun-  
tatis: quod ut eum rogaremus, non svasit solum amor in-  
illum noster; sed cum intelligeremus ipsius in hoc eodem,  
quod gerimus, sustinendo munere prudentiam vobis omni-  
bus non semel placuisse, ejus quoque vocem acceptissimam  
fore auribus vestris, nobisque ad conciliandos animos vestros  
aptissimam existimavimus. Quamvis autem tam fidelis a-  
pud vos internuntij poenitere nos profectò non debeat, pœ-  
niteret tamen silere nos diutiùs; vestroque beneficio gestiens  
animus continere se jam non potest.

Ita est certè, Academici Proceres, felix inter cæteros no-  
bis semper habebitur ille dies, quo vestris suffragijs eò sumus  
ejecti, ut ordini præcessemus amplissimo, quem tot lumina  
virorum & collata in Religionem ac Rempublicam tot me-  
rita nobilitavére. Suis enim Academia laboribus & Religi-  
onis & Reipublicæ causâ suscepis, nacta est quidquid habet  
splendoris. His Artibus titulos illos, quibus ab ipsis Regis  
cohonestata incedit, & jura præcipua, quæ in ipso Regis  
conspectu non evanescunt, & ipsa hæc, quæ gerimus, insi-  
gnia sibi comparavit.

Dum hæc autem loquimur, non excidit animo nostro  
nos ad unam tantum Academix partem verba nunc facere;  
sed quæ laudes ordini conveniunt universo, eas præclara hæc

Arti-

ORNA

Artium Facultas præcipuo jure sibi vindicat. Hinc quæ si ex incunabulis sese extulerunt cæteræ Facultates; hinc disciplinæ omnes, quæ ad tuendam tum Religionem, tum justitiam, tum corporum salubritatem comparatae sunt, velut ex uberrimo fonte oriuntur. Hæc nos, ut ita dicam, lacte suo nutritos, superioribus tradit disciplinis, quæ robustius ingenium & maturius postulant. Si autem hoc in Regno tot ab annis tantopere bonæ disciplinæ claruerunt, nonne illa lux exorta est præcipue ex ordine vestro, in quo civium animi ad præclara studia informantur? Efferent sese altius & uberiori efflorescent illæ Disciplinæ atque Artes, sub ejus intuitu Principis, qui suorum unicè studiosus, id demùm sibi gloriæ dicit, ut eorum ornamento consulat & felicitati. Depositis, cum primum licuit, armis, quæ sola sibi necessitas induerat, sustinuit victricem manum: neque rerum secundarum impetu raptus, sed ut hostium victor, sic sui potens, constitit in aspectu pacis, ad quam Europæ conciliandam ipso victoriarum cursu properabat. Quin etiam id justitiae existimatione est assecutus, ut illi ipsi quibus potestatis suæ vim incusserat, res suas componendas ejus arbitrio permitterent. Vicit igitur hostium suorum non copias solùm, sed animos: quo vincendi genere nullum præclarus potest, nullum jucundius inveniri. Consecrat Religionis amor tantas Principis virtutes: ea res omnes prout re verâ sunt, ita ipsi intuendas objicit: nihil ei quidquam videtur majus, quam quod Religioni decorum est: quidquid illa commendat, id ipsi magnum, id regium, id summâ ope expetendum videtur. Neque dubium fuerit vobis, quin ejus in animum curamque penitus descenderit hodierna hæc deliberatio, cum hic inter nos agatur causa Religionis, quæ ab ipsius sinu divelli nunquam potest.

Sentio, Academicci Proceres, jam unumquemque vestrum præcipere cogitatione postulationem illam, quâ nos à pluribus Viris Academicis provocati, Comitia hæc indiximus. Statim atque nobis delata est, illam diligentissime expendimus, remque, prout ejus magnitudo postulabat, cum Procuratoribus ornatissimis communicavimus.

C

Vno

Uno omnes ore censuerunt; præsatæ petitioni esse annuen-  
dum; atque idcirco quæ primùm indicenda esse, extra or-  
dinem, præclaræ Facultatis Comitia, quibus tanti momenti  
negotium tractaretur.

Hujusce autem postulationis duo præcipua capita sunt;  
alterum, ut Nationibus, ex quibus constat præclara Facul-  
tas, suam liceat aperire sententiam de ea provocatione, quam  
anno millesimo septingentesimo decimo octavo, die quinto  
Octobris, Academia interposuit à Constitutione *Vnigenitus* ad  
futurum generale Concilium, deque his actis, quæ hanc  
provocationem, aut antecesserunt, aut subsecuta sunt, qua-  
tenus ad Nationes præclaræ Facultatis, aut hæc provocatio,  
aut ejusmodi acta pertinent; alterum verò, ut ijsdem Nati-  
onibus liceat de obsequio Constitutioni *Vnigenitus* præstan-  
do quid sentiant, exponere.

Nemo vestrum ignorat, Academicci Proceres, si quid  
alicujus Ordinis nomine constitutum fuerit, eam censeri pos-  
se corporis universi sententiam, donec ab eodem ordine un-  
de profectum est, recissum fuerit & abrogatum.

Frustra objecerit aliquis, Provocationum actis, quæ anno  
millesimo septingentesimo decimo octavo, tum facultatum,  
tum Nationum, ac demùm totius Academiæ nomine insti-  
tutæ sunt, non id juris sanciri, ut ij, qui tunc temporis in  
artium Facultatem nondum adscripti erant, eadem provo-  
catione teneantur: quo fit ut ejusmodi actum, cuius ipsi nul-  
lo modo participes fuerunt, à se rescindi & revocari, si ver-  
borum vis & pondus attendatur, dicere non queant. Id  
verò ita se haberet, si de re aliqua inter privatos eorum no-  
mine contracta ageretur. Sed, ut supra dictum est, non  
singulorum ea provocatio, sed universorum fuit, qui primò  
nationatim conjuncti, communi deinde provocacionis Aca-  
demiae vinculo universum corpus obstrinxere. Itaque & ad  
universos & ad singulos, qui in præclarâ Facultate censemur,  
pertinet hodierna deliberatio.

Anno quidem millesimo septingentesimo vigesimo, au-  
thoritate regia sancitum fuit, nullius effectus esse habendas  
*Appellationes*. Sed vestri erga Ecclesiam obsequij signifi-  
candi

candi Facultas minimè adempta Vobis est, & quid de illa Academiac provocatione sentiretis, palam, pro vestra parte, declarandi: imò & hanc provocationem revocare vobis licet, & quam obedienter Ecclesiæ Decretis pareatis, manifestò comprobare.

Anno millesimo septingentesimo decimo octavo de Constitutione *Unigenitus* exarserant vehementissimæ contentiones; spargebatur passim rumor, in damnatis Propositionibus sanctissima Religionis dogmata contineri, earumque damnatione, & Patrum & Scripturæ sacræ verba ipsa repudiari; quin & sacrorum Codicum lectione Fidelibus interdici; Sancti Augustini doctrinam, & divi Thomæ sententiam, de Gratia & Prædestinatione possundari; primum & maximum de Divino amore præceptum, & sancti Caroli de administranda Pænitentia Regulas impugnari; subrui funditus Ecclesiæ Gallicanæ Decreta & Libertates. Quidam à Constitutione alieni, sed paulò verecundiores, palam ferebant eam, si minus fidei, morum, doctrinæ & Ecclesiasticæ disciplinæ planè adversam, ex ipso tamen habitu obscuram esse; neque in tanto Propositionum numero satis discerni, quonam vulnere singulæ laborarent. Strepebat igitur passim Gallia clamoribus, ad quos quorūdā etiam Ecclesiæ Præfatum vox accesserat: his partibus fese adjunxerat Cardinalis Eminentissimus, qui & virtutum suarum, & sedis suæ authoritate, Academiac oculos in se converterat. Quin etiam illo quasi æstu rapi visa est ipsa Theologiæ Facultas.

In hac inclinatione rerum ad provocationem lapsa est Academia. Viginti jam & amplius anni intercesserunt: quid autem artulit illa temporum series? Clementi Undecimo tres deinceps Summi Pontifices successere. Omnes Antecessoris sui judicium confirmarunt, & ipsius vestigia secuti nulli occasio defuerunt, ut disseminatas adversus Constitutionem columnias obtererent. Modò declaraverunt, Constitutionis *Unigenitus* eam esse præcipue mentem, ut damnati jam & profligati in Bajo & Jansenio errores, iterum cunfoderentur: modò Sancti Augustini de Gratia & Prædestinatione doctrinam, ab Apostolica Sede laudatam toties & approbatam, multo etiam firmatam Concilijs, non modò non ullo afflato violari, sed

ri, sed nunc etiam maximè vigere sub ipsis summorum Pontificum oculis, eamque in celeberrimis Romanæ Civitatis Scholis præcipuo jure dominari: modò Sancti Thomæ sententiam, quām latè patet Ecclesia Christiana, omnium veneratione prosequendam esse. Quorumdam verò temeritatem, qui passim jactabant ex damnatis Propositionibus plurimas aut ex Scriptura sacra, aut ex Patrum scriptis ad verbum expressas esse, quantā vehementiā insectati sunt. Primum illud & maximum omnium præceptorum, quam necessitatem, quam vim haberet, ipsi palam verbis scriptisque docere nunquam desierunt. Neque id obscurum est, Romæ non segniùs quām usquam terrarum typis mandari, in vulgus edi, animarumque Pastoribus commendari Sancti Caroli Regulas, ex quibus Pœnitentiæ administratio componatur.

Quænam fuit Episcoporum de Apostolica Constitutione sententia, quis animus? Nullus omnino inventus est apud exterias Nationes, quæ Catholicā fide continentur, qui non Decretum illud Fidelium obsequiō & obedientiā colendum esse crediderit. Galliæ, ubi natus est error, Præfules, præter admodum paucos, in eo consenserunt, ut in Diplomate Pontificio sanam Ecclesiæ doctrinam agnoscerent. Neque calumnijs, quæ temere volitabant, deterriti, imò accensi magis & erecti, jam anno 1714. cùm suæ quisque Dioceſeos Fidelibus Constitutionem proponerent, quò falsis malvolentia occurrerent interpretationibus, Pastorale Documentum promulgarunt.

Anno millesimo septingentesimo vigesimo, ut dissidentes animi magis ac magis revocarentur, novas expositiones in vulgus, ediderunt. Documenti Pastoralis ea præcipue mens fuerat, ut verus ac germanus Constitutionis sensus explanaretur: in expositionibus id consilij fuit, ut innotesceret falsam à quibusdam conflari Constitutioni invidiam, quasi libertati Scholarum & sanæ doctrinæ infesta esset, sacrorumq; Librorum lectione Fidelibus interdiceret. Utrobique nihil prætermissum est, quò vani ac nimis anxij quorumdam metus sedarentur, & planum fieret, jura Regni & Ecclesiæ Gallicanæ Libertates nullo modo tentari.

In hoc

In hoc tanto, tam venerabili, tam valido & efficaci suffragiorum consensu, quis Ecclesiæ vocem non agnoverit? Petri Successores, Episcoporum Corpus, quibus fidei depositum creditum est, quibus ut omnes docerent gentes Christus ipse mandavit, quibus dicto nos audientes esse jussit; quibus denique omnibus diebus ad consummationem saeculi affuturum se pollicitus est, iij sententiam dixerunt, debitam communī ipsorum voci obedientiam denegare, quām perversæ, quām præcipitis esset audacia?

Nos verò, Academici Proceres, id Majorum nostrorum exemplo fateamur: quantocumque & doctrinæ, & virtutis, & famæ fastigio subnixæ sint Academiæ, nunquam tamen eā fuerunt auctoritate, ut de ijs quæ spectant ad fidem, quasi è superiori loco judicarent. Prolato semel ab Ecclesia judicio, obedire, obsequi, earum semper fuit; definire, decernere, ad Episcopale Corpus sacro quodam & intacto jure pertinet.

Neque nobis quisquam responderit, dogmatico Sanctæ Sedis Apostolicæ Decreto non teneri Fideles, nisi ab universo Episcopali ordine clarè, liberè, unanimi consensu nullâ relictâ dubitandi ratione acceptum fuerit; nisi prævio iudicio, re etiam atque etiam ad normam juris inquisitâ, ita ut non ex præjudicatis opinionibus, sed ex natura rei, certisque & indubitatis principijs sententia feratur. Absit quidem, ut quisquam aut sentiat aut dicere audeat, ad ferendum de ijs quæ pertinent ad fidem judicium, nullam inquisitionem, considerationem, libertatem requiri. Sed Christi promissis freti, ita sentire, ita dicere debemus, si quid Episcopalis ordinis voce sanctum est, id respuere auribus Fideli cuilibet omnino fas non esse. Sic fore promissum est, ut portæ Inferi nunquam prævalerent: nunquam ergo invalescat tanta pestis, ut seu vi, seu negligentia, seu fraude prævaleant. **E**piscoporum Corpori Christus adest, Christus Sapientia Patris, Christus æterna Veritas: quatenus veritas præstò est, ut ab erroribus amoveat, quatenus sapientia, prælucet ipsis, ut quæ docuit, certâ viâ consequantur. Statim atque Episcopalis ordo cum ipso Capite conjunctus aliquid circa fidem decre-

D

vit,

vit, statim atque sacrum illud Corpus, Interpres Divinæ vocis ac cælesti Spiritu afflatum, obedientiam postulat, tum veri Fideles nihil dubitant; in Episcopali Corpore unitatem vident: in quo Episcopi consentiunt, dissentire nefas putant; sciunt quippe ad Episcopos pertinere has voces, *Qui vos audit, me audit*, sciunt eum qui Corpori Episcopali opem suam pollicitus est, neque Episcopis, neque sibi, si Episcoporum vestigijs insistant, defuturum; atque ut Pastoribus in Christi promissis tutissimum semper est præsidium, ita sibi in fidei simplicitate arcem fore inexpugnabilem. *Quocumque modo*, ajebat Bosquetius (1.) fiat ut Ecclesia consentiat, transacta plausu res est: neque enim fieri potest unquam, ut Ecclesia Spiritu veritatis instruta, non repugnet errorio. Deus, inquit alio loco, ita versat animos, ita in eis dominatur, ut in aspectali & perpetua Successorum Apostolicorum communione, sana & incorrupta doctrina semper victrix evadat.

His quasi potentissimis telis expugnatæ mentes felicem illam in Gallia rerum mutationem ediderunt, quæ totius Ecclesiæ plausu excepta est. In toto Episcopali ordine vix unum & alterum reperias, cuius metum ac suspicionem, visibilis auctoritas non evicerit. In universo orbe Catholico Academia nulla est, quæ obsequio significando defuerit: quin etiam Gallicanæ quædam Academiæ, ut Parisiensis exemplum in provocando secutæ fuerant, ita ipsi in revocanda provocatione exemplo præiverunt; & Theologica Facultas, quæ cum multis nominibus conjuncta vobis est, tum gravissimâ in ejus modi rebus auctoritate pollere debet, ipsa vobis prætulit facem, ipsa quod iter ingrediendum vobis esset, dux præmonstravit. Quot Congregationes siue Sæculares, sive Regulares, primo torrentis æstu, in transversum abreptæ, re maturius perpensâ & cognitâ ad relâtam semitam redierunt.

Num igitur, sola hæc nostra Societas in provocatione persistaret? Num solitariæ cuiusdam contumaciæ crimen subire animo obstinaremus?

*Quod si Constitutionem tam apertè tutatur spiritualis*

(1) *Defensio Declarat: Cleri Gallicani de Ecclesiastica potestate. Lib. 3. cap. 2.*

*aucto-*

auctoritas, ipsi quoque potestas temporalis non aperte minus patrocinata est. Id quidem summā ope moliti fuerunt Constitutionis Adversarij, ut in Catholicas gentes omni aditu, cuniculis omnibus animorum suorum sensus obreperent. Quænam tamen Catholica, gens ab eo descivit obsequio, quod Ecclesiæ Decreto debetur? Et in Gallia quidem, Regia authoritas, observatis religiosè ijs Institutis, quæ erga Pontificum Decreta ante hac usurpata fuerunt, Constitutionem *Unigenitus* statim amplexa est, eamque pro tenore suo jussit observari. Quam funditus Regia Majestas provocationes *Unigenitus* anni 1720. Edicto sustulerit, jam commemoravimus. Ibi aperte sanctitur, Constitutionem hanc, tanquam Ecclesiæ Regnique legem habendam esse; ibi provocations tolluntur, ipsas nullius effectus esse declaratur; ibi edicitur, ne quis Regi Subditus provocationibus utatur, ne quis Judex earum ullam habeat rationem.

Anno millesimo septingentesimo trigesimo, novo insuper Edicto jubentur omnes Regni Cives, cujuslibet conditionis, eam Constitutioni præbere observantiam, eam obedientiam, quæ Ecclesiæ universalis circa doctrinam iudicio præbenda est; quo quidem Edicto alterum anni millesimi septingentesimi vigesimi Edictum corroboratur. Utrumque in omnium Parliamentorum Tabulas relatum.

Constat itaque in eo consentire utramque potestatem, ut id auctoritate suâ tueantur, quod à plurimis vestrū exoptatum, vobis ego, & ex ipsorum votis, & ex animi mei sententiâ sum propositurus.

Sileant igitur temerè præceptæ opinions, odia conticescant, concidant partium studia; auribus animisque vestris nihil insurseret, nisi ratio, nisi æquitas, nisi obsequium erga illas Potestates, quibus obtéperare nos DEUS ipse præcipit. Nihil sanæ doctrinæ, nihil Ecclesiasticæ disciplinæ nihil Ecclesiæ Gallicanæ Libertatibus imminet periculi. Curam omnem, & diffidenciam; vestris è mentibus ejciant, vox Successorum Petri, Documenta & Expositiones Episcoporum, constans & provida Principis nostri attentio, quæcumque tum ad Religionem, tum ad Rempublicam spectant diligentissimè perspiciens

ciens; ejusque consiliorum sapientia singularis. Quod si  
in vestrum alicujus animo etiam nunc resideret non nihil me-  
tus, ne forte jura Regni laederentur, nonne hanc omnino  
suspicionem adimere debuisse erecta semper ac sollicita  
Parlementorum vigilantia? Oriatur ergo e pectoribus ve-  
stris, spiret in sermonibus aura pacis & charitatis; domi-  
nentur nobis regulæ non regulis dominemur. Sanctæ Se-  
di Apostolicæ, unde unitas Sacerdotalis exorta est, devin-  
cti semper & addicti, justum ac legitimum obsequium tan-  
dem persolvamus Ecclesiæ præbeamus aures; augustissimo  
Regi, primogenito Ecclesiæ Filio, fidem nostram, venera-  
tionem, flagrantissimumque studium splendido & immor-  
tali pignore approbemus.

**P**orrò quam dixit in Oratione sua Amplissimus D.  
Rector factam, & ad se scripto delatam à pluribus  
singularum Nationum Magistris postulationem, his  
erat concepta verbis.

## AMPLISSIMO D.D. RECTORI.

### AMPLISSIME D.D. RECTOR.

**A**ccedunt supplices è quatuor Nationibus præclaræ Arti-  
um Facultatis Magistri, ajuntque, interjectam fuisse no-  
mine Universitatis die quintâ Octobris Anni 1718. provo-  
cationem à Constitutione *Vnigenitus* ad futurum Generale  
Concilium, & illius provocationis Acta ad præclaram Ar-  
tiūm Facultatem pertinentia, adhuc in Commentarijs qua-  
tuor Nationum, ipsiusque Universitatis, manere reposita.  
Non ignorari quidem à se, hanc provocationem, simulque  
alias ijs temporibus institutas, per Edictum Regium anno  
